

... suffragatos municipibus suis velut iam pridem huius- § 19.  
 modi dignitate saturatos; istos vero, qui Atinate oppido  
 venirent, exoptasse ornari Plancium, quod ea res non  
 minus etiam ad honorem suum pertineret, cum paucissimos  
 5 de suis civibus haberent senatoriis magistratibus honoratos.  
 Praeterea et hinc istis civitatibus adicit differentiam, quod  
 Atinates semper civibus suis faverint, Tusculani plurimum  
 livoris naturaliter etiam circa municipes suos habuisse  
 videantur. Sic et M. Cato ille Censorius pro maligno et  
 10 invido habitus est nec aliter etiam Lucilius de eorundem  
 moribus sentit hoc dicens: *Prima Papiria Tuscolidarum.*

Nam malevolos non esse certo scio.

Hoc dicitur ab eo ἐν ἧθει; quippe cum diversum  
 intellegi velit, simulat circa Tusculanos verecundiam  
 15 malevolentiae negatione.

Quorum honoribus agri ipsi prope dicam § 20.  
 montesque favebant.

... hoc dixisse videatur, nisi interposuisset vigilan-  
 tissime temperamentum praecedentibus verbis, quod ait:  
 20 *prope dicam*; nam neque agri <neque> montes possunt  
 habere ullum sensum favoris, sed ... quae sunt, vim  
 sententiae de hac moderatione sumserunt.

At si in aliquem Arpinatem incideris, erit  
 tibi fortasse etiam de nobis aliquid, sed certe de  
 25 C. Mario audiendum.